



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 105. Livonienses auxilia a Poloniæ Rege petentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc. XVI. Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo
A.C. 1559. suum tractatum, quem alii versionem
 Caspari Genepei Colonienfis esse autu-
 mant, absolvit, eumque inscripsit *veram*
narrationem rerum ab Anno Christi millesi-
mo quingentesimo usque ad annum millesimum
quingentesimum quinquagesimum nonum in
Republica Christiana memorabilium. In
 hoc tractatu percelebris hic Scriptor
 nonnulla mendacia, quibus Sleidanus,
 alique Authores hæretici suas historias
 repleverunt, detexit.

§. CV.

Livonienses auxilia a Poloniae Rege
petentes.

Tuan. hist. In iisdem Comitibus pariter auditus est
l. 22. n. 4. Guilielmi Fürstenbergii supremi Or-
 dinis Livonici Magistri Legatus, qui au-
 xilia, opemque contra Moscovitas ab
 Imperii Ordinibus petebat: cum igitur
 æqua ejus petitio videretur, centum
 aureorum millia eidem eroganda de-
 cernebantur; verum Livonienses hanc
 summam, cum illam nimium tenuem,
 ac potius in conditionis suæ contem-
 ptum, quam in necessitatis levamen da-
 tam existimarent, acceptare renuebant.
 Itaque Sigismundum Augustum Polo-
 niæ Regem adeunt, atque ut Livoniæ de-
 fensionem suscipiat, salvo Imperii jure
 rogant, ita tamen, ut pro belli sum-
 ptibus

ptibus novem arces, ac præfecturas pignoris loco ei offerrent, quas postea sexcenties aureorum millibus Provinciæ Ordinibus redimere jus esset: igitur ea de re publica instrumenta confecta, & jurisjurandi utrinque interpositi religione firmata sunt, postquam cuncta hæc pacta fuerunt acceptata.

Demum Fürstenbergius ob decrepitæ suæ ætatis molestias supremi Magistri dignitatem dimisit, eamque Gothardo Ketlero concessit, qui etiam bellum adversus Moscovitas susceperat.

§. CVI.

Clam de extirpandis hæreticis actum.

Postquam inter Franciam, Hispaniam, Angliam, atque Imperium communis pax fuerat stabilita, Henricus II. unice eo curas intendit, ut hæresum, quæ latius per Franciæ Regnum serpebant, progressibus obicem poneret: quippe Ducissa Valentina, quæ ex proscriptionibus, ac damnatorum bonis lucrum hauriebat, & Guisiani, qui ex sectariorum pœnis gratiam apud populum aucupabantur, regis aures hac opinione occupant, quod passim per Galliam hæreticorum virus spargatur, nec Rex quiete in iis Provinciis regnare possit, in quibus malum illud dominatur, præcipue cum illorum, qui hoc

N 4

veneno,

Sæcul. XVI
A.C. 1559.